

T19

Medea 490-559**La determinazione della vendetta**

Personaggi in scena

IASON

MEDEA

490 IASON Perimere cum te vellet infestus Creo,
lacrimis meis evictus exilium dedit.

MEDEA Poenam putabam: munus, ut video, est fuga.

IA. Dum licet abire, profuge teque hinc eripe:
gravis ira regum est semper. ME. Hoc suades mihi,

495 praestas Creusa: paelicem invisam amoves.

IA. Medea amores obicit? ME. Et caedem et dolos.

IA. Obicere crimen quod potes tandem mihi?

ME. Quodcumque feci. IA. Restat hoc unum insuper,
tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.

500 ME. Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus,
is fecit – omnes coniugem infamem arguant,
solus tuere, solus insontem voca:

tibi innocens sit quisquis est pro te nocens.

IA. Ingrata vita est cuius acceptae pudet.

505 ME. Retinenda non est cuius acceptae pudet.

IA. Quin potius ira concitum pectus doma,
placare natis. ME. Abdico eiuro abnuo –
meis Creusa liberis fratres dabit?

IA. Regina natis exulum, afflictis potens.

510 ME. Ne veniat umquam tam malus miseris dies,
qui prole foeda misceat prolem inclitam,
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.

IA. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quaeso. ME. Supplicem audavit Creo.

515 IA. Quid facere possim, loquere. ME. Pro me vel scelus.

IA. Hinc rex et illinc – ME. Est et his maior metus
Medea. Nos † configere. Certemus sine,
sit pretium Iason. IA. Cedo defessus malis.
Et ipsa casus saepe iam expertos time.

520 ME. Fortuna semper omnis infra me stetit.

IA. Acastus instat. ME. Propior est hostis Creo:
utrumque profuge. Non ut in sacerum manus
armes nec ut te caede cognata inquines
Medea cogit: innocens mecum fuge.

525 IA. Et quis resistet, gemina si bella ingruant,
Creo atque Acastus arma si iungant sua?

ME. His adice Colchos, adice et Aeeten ducem,
Scythas Pelasgis iunge: demersos dabo.

IA. Alta extimesco sceptra. ME. Ne cupias vide.

- 530** IA. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
ME. Nunc summe toto Iuppiter caelo tona,
 intende dextram, vindices flamas para
 omnemque ruptis nubibus mundum quate.
 Nec diligentि tela librentur manu
- 535** vel me vel istum: quisquis e nobis cadet
 nocens peribit, non potest in nos tuum
 errare fulmen. IA. Sana meditari incipe
 et placida fare. Si quod ex socii domo
 potest fugam levare solamen, pete.
- 540** ME. Contemnere animus regias, ut scis, opes
 potest soletque; liberos tantum fugae
 habere comites liceat, in quorum sinu
 lacrimas profundam. Te novi gnati manent.
 IA. Parere precibus cupere me fateor tuis;
- 545** pietas vetat: namque istud ut possim pati,
 non ipse memet cogat et rex et sacer.
 Haec causa vitae est, hoc perusti pectoris
 curis levamen. Spiritu citius queam
 carere, membris, luce. ME. Sic natos amat?
- 550** Bene est, tenetur, vulneri patuit locus. –
 Suprema certe liceat abeuntem loqui
 mandata, liceat ultimum amplexum dare:
 gratum est. Et illud voce iam extrema peto,
 ne, si qua noster dubius effudit dolor,
- 555** maneant in animo verba: melioris tibi
 memoria nostri sedeat; haec irae data
 obliterentur. IA. Omnia ex animo expuli
 precorque et ipse, fervidam ut mentem regas
 placideque tractes: miserias lenit quies.